



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IX. Quod qui habitum religionis susceperit, si professionem non fecit, & aliquam sibi postea matrimonio copulauerit: non est cogendus ab ea recedere, & ad ecclesiam redire.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

taliter respondemus, quod si legitimus consensus ea solennitate qua fieri solet, præsente scilicet sacerdote, aut etiam eius notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc obseruatur, coram idoneis testibus interueniat de præsenti, ita quod vnus ad alium in suam mutuo consensu verbis expressis recipiat, vtrimque dicendo: Ego te recipio in meam, & ego te in meum; siue sit iuramentum, siue non, non licet mulieri alii nubere: & si nupserit, & fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, & vt ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli, quamuis alii aliter sentiant, aliter etiam a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.

27. Quest.  
ultima.

C A P. IX. *Idem Vniuersaliensi episcopo.*

Meminimus nos ex parte tua quæstionem huiusmodi audiuisse, scilicet, vtrum illi qui se ad religionem coram episcopo deuouerant transituros, & habitum religionis susceperunt, si postmodum vxores duxerint, cogendi sunt eas dimittere, & ad ecclesiam, cui se contulerunt, redire. Super hoc vtique duximus respondendum, quod si quisquam qui se religioni deuouerit, & habitu suscepto professionem fecerit, postmodum aliquam sibi copulauerit, est ab ea cogendus recedere, & ad ecclesiam, cui se contulit, debet sine contradictione transire. Verum si habitum non suscepit, nec professionem, sed solummodo votum fecit, & se ad religionem transiturum promisit: licet postea matrimonium contraxerit, non est ad ecclesiam cogendus transire, & matrimonii votum rescindere.

Infra de  
monachis  
in probatio-  
ne susceptis.

C A P. X. *Idem Noruicensi episcopo.*

Continebatur in literis tuis, quod cum quædam puella infra nubiles annos cuidam viro in vxorem tradita fuerit, & ab ipso traducta parentibus assentientibus eam legitimæ ætatis existere, hæc ad nubiles annos perueniens, alii nubendi licentiam postulauit, asserens se in eundem virum nullatenus consensisse: prædictus vero vir e contra proponit, quod licet eadem puella nondum forte annum duodecimum attigisset, cum tradita fuisset ei in vxorem, vsque adeo tamen fuit ætati proxima, quod ipsam carnali commixtione cognouit. Inde est, quod cum ipsa eidem vi-